

Q. N. 350, 5.

(X 1860 433)

7, 157

II f
410

THEOREMATA

De Intellectu

Qua

D. O. M. A.


In celeberrima Lipsiensi Acad.
ad VII. Id. VIIbr.

*Horis locoq; consuetis publicè
discutienda proponit*

M. GEORGIUS GLAUCHIUS Ciz.

Respondente

CHRISTOPH. LOMMITIO
Grimm. Phil. Baccal. alum. Elect.



LIPSIÆ

Imprimebat LAURENTIUS COBER.

Anno æræ Christianæ

MDCCXVI.



Amplissimis, Reverendâ dignitate,
Consultissimis, & insigni & præclarâ doctri-
Prudentissimis Viris, nâ, Seniliq; prudentia Præ-
stantissimo Viro, Dn. TOBIÆ
Dn. COSS. & reliquis in- BEUTERO Pastori ac Superatten-
denti de Ecclesia Christi, apud
clytæ Reip. Torg. Senato- Torgenses optimè meri-
ribus dignissimis &c. to, &c.

*Dominis Patronis ac Promotoribus
suis submissè colendis.*

S. P.

Quam valedictionis loco in almâ Lipsiensi habui de intellectu
d sputationem, T. R. D. & AA. VV. lubens meritòq; dicatam
eo. Nuncupationis causas exponerem, nisi omnia Vobis me de-
bere intelligerem, ex quo ad Scholæ vestræ functionem sum voca-
tus. Reliquum igitur est ut munus ipsum potius Vobis excusent
vel probem. Exile fateor si pagellas spectetis, sed affectu non exi-
le, qui pondere omni major. Quod si in sacris ture & lacte non
minus, quàm inaurato tauro litatur; confido hoc quoq; officii &
observantiæ meæ monumentum R. T. D. & VV. AA. ipso affectu non
ingratum fore, quo istud & omnia mea iis oblata, sacraq; volo. Li-
psia dab. è Musæo meo 3. Sept. anno æræ Christianæ 1616.

T. R. D. & VV. AA.

submissè colens

M. Georgius Glauchius Cizensis.





Prooemium.



Armorea Ctesiclis statua tanta fuit elegantia, ut Samij adolescentes eius potiundi desiderio in templo pernoctarent; Apellea verò Veneris tanta venustas fuit, quantam etiam homines vix suis oculis credidissent. Sed hominis admirabilis structura mundi admirationem omni tempore excitavit, sapientissimorum verò contemplationem vicit. Unde Aegyptiorum Sacerdotibus animal adorandum & admirandum, Hermeti Trismegisto miraculum magnum & animal DEO simillimum, Platoni θαῦμα θαυμάτων, Ciceroni animal divinum plenum rationis & consilij vocatur. Vetusissimus Zoroaster eius Contemplatione defixus

Expleri mentem nequit ardescitq; tuendo, deniq; veluti victus exclamat: ὦ ἀνθρώπε τολμηροτάτης τῆς φύσεως ἀγαλμα! O homo audacissima & confidenter omnia molientis naturæ facinus & decus. Et meritò. In hominis enim natura ut exemplari omnibus simulacris emendatiore Universi pulcritudo & virtus collecta conspirat; unde & naturæ delictia & mundi epitome Plinio appellatur. In homine,

A 2

mani-

*manifesta divinitatis indicia & quaedam, quae humani-
 tatem excedat, majestas conspicitur: unde & Synesio
 Horizon corporeorum & incorporeorum, aliis augustum
 Dei templum nuncupatur. Quibus de causis bonum
 factum putavi, si in omnium hoc nobilissimo & divinif-
 simo objecto nostra praesens versaretur disceptatio: non
 toto quidem (idenim majoris esset instituti, quam tem-
 poris ratio postulat) sed secundum eam partem consi-
 derato, qua mortalitatem omnem excedit. Praeclara
 certe, sed maximis obstructa difficultatibus dissertatio,
 in qua inter tot dissentientium συρράξεις plures nebu-
 lam pro Junone, umbras pro veritate sunt amplexati.
 Nos δια βραχέων rem intricatam aliquot includemus
 Theorematis, Porphyrij institutum secuti τῷ βαδύτέ-
 ρων ἀπεχόμενοι ζήτημάτων, τῷ δὲ ἀπλεστέρων συμ-
 μέτρως σοφισαζόμενοι.*

THEOREMA I.

*Anima rationalis duas ex se profundit potentias, intel-
 lectum nempe & voluntatem.*

*Quamvis anima in essentia sua considerata actus sit sim-
 plex, & ab omni materiae concretionem disjunctus: emanantes ta-
 men habet potentias, quarum beneficio suas muneris functiones
 obit. Quomodo vero potentia ab essentia animae distinguan-
 tur, à Philosophis in diversas itum est sententias. Quidam enim
 asserunt eas distingui nec formaliter, nec ex natura rei ab ani-
 mae essentia, quam sententiam mordicus defendit tota ferè Nomi-
 naliū Schola. Scotus, quem Scaliger exer. CCCVII. sect. 21.
 omnium*

omnium acutissimum vocat, paulum istam sententiam emollit, & identitatem potentiarum & anime quidem non concedit, exilem tamen admodum largitur distinctionem, formalem nempe, seu ex natura rei. Nos opiniones has ad suos autores remittentes hac in re sequimur Thomam, quem idem Scaliger veritatis limam appellat, & cum eo reale discrimen inter ipsas ibimus defensum. Id quod firmis probamus rationibus. 1. nulla enim substantia creata potest esse immediatum principium suarum operationum & actionum. Est enim hac conditio longè altioris & simplicioris nature, quam ut creaturis competat. Quod & Aristoteles innuit lib. de sensu c. 2. ubi docet, ignem, terram & cetera agere nullo modo posse, ni stipata forent contrariis qualitatibus, frigore scilicet & calore. 2. ἀτόπov est, in iis quæ reapse eadem sunt uno multiplicato, alterum non multiplicari. Jam in anima specie distincti actus sunt, & eo ipso multiplicati, ut intelligere & velle. Qui ergo isti actus specie diversi unam simplicem essentiam constituere possunt? Nulla enim essentia simplex, ex diversarum specierum juncturâ conflare potest. 3. Nec ver simile est, tantam accidentium congeriem & varietatem frustra rebus esse concessam. Cui enim bono illa essent, si substantia immediata & proxima suarum actionum principia forent? Unde rectè Suarez disp. Metaph. 18. Sect. 3. dist. 42. Proxima, inquit, facultas ad actionem accidentalem in creatura est accidens à substantia distinctum, quo ex fundamine etiam celebris illa profluxit principiorum distinctio; in principium nempe quod & quò. Illud totum est suppositum & principale agens; hoc aliqua superaddita qualitas, cuius interventu illud agere possit, quo nomine & principium proximum dici consuevit. 4. Id ipsum etiam diversa evincunt objecta. Ubi enim diversa objecta formaliter sumta inveniuntur, ibi est ἀναρχαίων specie distincti actus & potentia conceduntur. Ubi specie distincti actus & potentia, ibi non rei identitas, sed multitudo

introducitur. Distincta ergo sunt à se invicem potentia, & hæc etiam
diversa à substantia, à qua per emanationem prodeunt. Jam in
confesso est, objectum intellectus, quod intelligibile est; & voluntatis,
quod bonum, specie distincta esse. Quis ergo inde non specie di-
versos actus & potentias constitueret? Cum potentia & actus qui-
vis esse suum distinctum ab objectis formaliter sumtis accipiant.
Exulet ergo opinio Scoti & aliorum, qui animæ essentiam cum po-
tentis ἀλόγως confundere satagunt.

THEOR. II.

Intellectus est facultas animæ rationalis inorganica,
quâ homo res intelligibiles percipit atq; dijudicat.

In Theoremate antecedente rationibus firmis fuit probatum
potentias animæ ab eius essentia realiter differre. Sed ne intelle-
ctum cum aliis potentiis confundamus, hoc loco observandum ve-
nit, duobus esse animæ potentias: organicas & inorganicas.
Organicae sunt δυνάμεις seu facultates, quæ in perficiendis suis
muneris functionibus ab instrumentis corporeis dependent, nec si-
ne illis quicquam agere possunt, ut potentia visiva in oculo est a-
nimato, tanquam proprio instrumento, per quod videndi actionem
in homine edit. Inorganicae sunt, quæ absq; organis corporeis
actiones suas perficiunt, ut est intellectus, qui hanc ob causam ab
Aristotele ἄλογος, καὶ ἀμύγης lib. 3. de Ani. c. 5. vocatur. Non
quod per se possit χωρὶς σώματος, id est, à corpore disjunctus
consistere, sed quia in actionibus suis à corporis concretione non de-
pendent. Et quamvis multæ prævia dispositiones requirantur ad
absolvendum intelligendi actum, uti sunt intentionales sensuum
tam internorum, quàm externorum species, nec non phantasma-
ta, & specierum intelligibilium efformatio: ipsa tamen actio cum
sit immanens & inorganica in intellectu patiente præcisè perfici-
tur,

tur, & in eo denuò recipitur. Est enim hoc ingenium actionum im-
manentium, ut in eadem causa, à quâ ενεργητικῶς prodeunt, vi-
cissim ut in subjecto recipiantur. Quo pacto etiam in Theoremate
diximus, ejusmodi δὲναμιν esse intellectum nostrum, qui absq; ullis
corporeis instrumentis, actiones suas perficit, & ita res omnes pra-
supposità justà preparatione percipit, ut in sequentibus σὺν Θεῷ
videbimus.

THEOREMA III.

Intellectus duplex est; agens & patiens, qui realiter
inter se invicem distinguuntur.

Non desunt ex praestantissimis Philosophis, qui modalem
& autum inter has potentias agnoscunt distinctionem, ut Tolerus 2.
14. lib. 3. de Anima. Conimb. lib. 3. de anima c. 5. quest. 1. Art. 2. Quae
quidem sententia suà probabilitate omninò non caret. Nos ta-
men in adversam partem videmus rationes firmiores, quae non im-
meritò sententiae suae assensum à nobis extorquent. Et primò qui-
dem initio se huc offert Aristotelis autoritas, qui lib. 3. c. 5. de anima
haud obscure idem affirmat: καὶ ἐστὶν inquit ὁ μὲν τοι ἐστὶν ὁ ἄλλος
τῶ πάντων γίνεσθαι, ὁ δὲ τῶ πάντων ποιεῖν. Et paulo post: καὶ ἐ-
στὶν ὁ ἄλλος χωριστός, καὶ ἀμιγής, καὶ ἀπαθὴς τῇ ἐστία ὡς ενεργεία αἰεὶ
γὰρ τιμιώτερον ἢ ποιεῖν ἔπαχοντὶ καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς ὕλης. Nec
desunt rationes, quae nos in autoritate Aristotelis confirmant. I. e-
nim facile hoc à quovis obtinebimus, potentias distingui ex diversis
operandi modis, qui cum ab unà potentiā progredi nequeant, diver-
sas arguunt potentias. Hac etiam ratione ducti intellectum &
voluntatem realiter à se invicem distincta esse colligunt Philoso-
phi. Quoniam nempe intellectus tanquam potentia cognoscendi ad
se attrahat objectum, illudq; intimiùs sibi jungat: Voluntas v.
per modum inclinationis in suum objectum ab intellectu judicatum
intendat. Cum vero & in intellectu agente & patiente diversi in-
veniuntur

veniantur modi operandi, quorum unus naturaliter presupponit alterum, exinde realiter diversa judicatur potentia. Modus enim operandi intellectus patientis consistit in objecti ad se attractione & conjunctione. Intellectus autem agens objectum suum ad se non attrahit, nec sibi conjungit, sed illud adhuc intra corporalium accidentium metas cohibetum adjuncta sua luce active elevat, ut de se speciem intelligibilem projicere possit. 2. Certum est in Philosophia quamque potentiam ad unum tantum specie actum esse determinatam, ut visus non ad audiendum sed videndum, voluntas non ad intelligendum sed volendum. Ergo & potentia cognoscendi tantum ad cognitionem erit restricta, non vero ad speciesphantasmatibus producendi actionem. 3. Eadem est actio realis instrumenti & cause principis. Jam constat, phantasma & intellectum agentem habere se, ut causam principem & instrumentum. Ergo eandem edunt actionem, immittendo scilicet intellectui passibili speciem intelligibilem. Actio autem illa cum sit transiens (recipitur enim in intellectu passibili ut in subjecto) qui ergo in intellectu passibili recipi posset, si ille cum agentis essentia & omdns conveniret? Nihil enim in semetipsum agere potest actione transiente: nec fieri ulla ratione potest, ut una eademque actio simul transiens & immanens esse possit. Ex quibus rationibus firmissimè concludimus, realem fore intellectus agentis & patientis distinctionem.

THEOR. IV.

Intellectio non potest fieri absque speciebus intelligibilibus.

Species intelligibiles necessario admittendas esse ad perficiendum intelligendi actum, contra Themistium, Theophrastum statuimus. Quemadmodum enim sensus muneri sui functiones absque speciebus intentionalibus & sensibilibus prestare non potest:

Ita

Ita nec intellectus absq̄ speciebus intelligibilibus, quæ principia sunt instrumentaria, intelligendi actum edere valet. Quam nostram sententiam confirmant firmissimæ hæ rationes. Intellectus enim noster à primavâ suâ origine in ordine intelligibilium in purâ putâ est potentia, omninoq̄ ἀόριστος ad hoc vel illud percipiendum, ideoq̄ τῷ γαμματεῖω ὡ μὴδὲν ὑπάρχει ἡτελεχείᾳ γε γαμμένον, c. 4. lib. 3. de anima. ab Aristotele comparatur. Actuari ergo & determinari prius debet à specie intelligibili, à qua excitatur intelligendi actus, quàm circa objectum versari & operari possit. Nec non constat noticiam & cognitionem omnem oriri ex potentia & objecto, quæ duo causam noticiæ integram constituunt, objectum vero cum sit extra intellectum & materia immersum, per se in eum illabi nequit. Itaq̄ specie intelligibili opus est, quæ impressa intellectui objectum unit & representat. Quod officium subire phantasmata nequeunt, ut voluerunt Themistius & Theophrastus: tum quia intimiùs intellectui non sunt conjuncta, quod necessarium tamen intellectiōnis est requisitum, sed corporeo adherent organo: (Omne autem quod cognoscitur, in cognoscente intellectu ut sit, necessum est:) tum etiam, quia non nisi mera referunt singularia, nec ullo modo Universalia, quorum perceptio seu cognitio non minus ad intellectum pertinet. Ex quo evincitur, necessariò dandas esse species intelligibiles, quæ formale sunt intellectiōnis principium. Et ut in re haud obscura testem non necessarium adducamus, confirmat idem Aristoteles, lib. 3. de anima c. 4. ajens; intellectum possibilem omnia fieri, quia scilicet singularum rerum species in se recipere potis sit. Et c. 5. dicit: Intellectum & rem intellectam unum esse, non quidem per ἰστίαν & naturam, sed intelligibiliter, dum scilicet res omnes per earum imaginem in se recipit. Unde verè Augustinus lib. 11. de Trinitate c. 2. dicit: adeò verum & compertum esse species intelligibiles dari, ut qui eas dare neget, ἀπρωστία τῆς διανοίας laboret.

B

THEOR.

THEOREMA V.

Intellectus agens elicit ex phantasmatibus species intelligibiles.

Magnam majorum gentium Philosophis dissensionem peperit rei obscuritas & perplexitas. Quidam existimant fieri illustrationem phantasmatum per impressionem certæ qualitatis, beneficio cuius phantasma ad effundendam de se speciem intelligibilem aptum reddatur. Sed quo minus sententiæ huic subscribamus ratio in promptu est. Id enim quod imprimitur ab intellectu agente aut est effectus univocus, aut equivocus. Si univocus, eiusdem esset cum causa naturæ & rationis quod nemo rectè sentientium concedent. Si equivocus deterioris erit natura, & aut qualitas spiritualis aut corporea. Si spiritualis, quomodo, quæso, illa in accidente corporeo ut in subiecto possit recipi. Cum absurdum sit, indivisibile in divisibili ad modum extensionis recipi posse: Et nec totum phantasma collustraretur, sed tantum punctum illud, quod qualitatis istius factum foret particeps. Si corporea; æquè est ἀδύνατον, ut, cum materiei adhuc esset immersa, cum phantasmate efficaciam & vim communicare posset, ut spirituales produceret qualitates. Nulla enim causa ultra suas vires agit. Cajetanus & alij dicunt, phantasma objectivè ab intellectu agente illustrari. Vti enim, inquit, Sol per nudam & solam Luminis assistentiam colores ad actum radiandi trajicit: ita & intellectus agens per suam irradiationem facit, ut phantasmata suas de se projiciant Species intelligibiles, quas postea agens intellectui possibili imprimit. Sed vana & hæc est sententiæ, & proprio suo onere collabitur. Si enim tantum lumen intellectus agentis phantasmatibus assistit absq; ulla efficiendi ratione, quæ speciem producere potest materiei expertem, cum adhuc intra materiei limites cohibeatur? Nec non hoc inde sequeretur absurdum, quod in somno phantasmata illustrarentur, quod

quod ipse negat Cajetanus. Veritati ergo & rationi magis consen-
taneam judicamus sententiam, quae statuit phantasmata effectivè
illustrari, non quidem ut aliquid lucis & qualitaris eis imprimatur,
sed quod externâ intellectus agentis luce activè eleventur, ad pro-
ducendas species, res extra mentem representantes.

THEOR. VI.

Intellectus agens non intelligit.

Aristoteles lib. 3. de anima c. 5. conceptis, verbis hoc affir-
mat: ἐστὶν ὁ μὲν, inquit, τοῖσι & ἕσσι, τῶ πάντα γίνεσθαι, ὁ δὲ τῶ πάν-
τα ποιῆν.

Et contra Jandunum hac ratione confirmatur, qui contrari-
um asserit. Nullus actus à diversis specie potentiis ὁμοίως elicitur.
Atqui intelligendi actus ab intellectu patibili elicitur. E. non ab in-
tellectu agente.

THEOR. VII.

Objectum intellectus adæquatum & completum est
Ens veritate affectum.

In constituendo vero & adæquato intellectus Objecto dua po-
tissimum se offerunt dissentientes sententia. Quarum altera exi-
stimat verum se assequi, si intellectui Ens intelligibile pro objecto
assignet. Altera verò si pro adæquato & completo objecto
ponat verum. Prior sententia ut verum invenisse putetur, his
utitur rationibus. 1. quia Ens ut sic, primò intellectui absq; formali
ratione veri se sistit, eumq; è potentia ad actum traducit 2. Illud
verum & adæquatū est potentia objectum cuius ratio formalis eius

B 2

actum

actum excitat atq; determinat. Naturalis enim convenientia
& responsus inter objectum & potentiam requiritur, uti cuius po-
tentias & earum objecta excipienti planum est. Hoc facit Ens
qua est intelligibile. E. Colligunt, verum eius erit objectum. Ve-
rum haec rationes nostram sententiam non feriunt. Non enim nos
negamus, Ens intelligibilitate affectum intelligendi potentiam mo-
vere, quod tantum rationes adductae concludunt, & nos libenter
largimur. Verum hoc in controversia est positum: an nuda ista
rei perceptio, seu in intellectu rei praesentia adequatum & comple-
tum constituat objectum, quod intelligendi actum completè deter-
minet, atq; exhauriat? & hoc est, quod insciamur. Verum enim-
verò ad completum & integrum intelligendi actum aliquid ampli-
us requiritur, actus nempe iudicii, quo intellectus supra suum se e-
levat actum, & an rectè rem istam conceperit, indagat, quem prior
opinio ex intellectionis negotio perversè excludit. Itaq; ut di-
stinctius rem percipiamus, observa in intelligendi actu tria occur-
rere. 1. Ens non est, quod non potest non $\Phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$ ad sui perceptio-
nem movere intellectum, non secus atq; visibile naturaliter oculum
ad videndi actum excitat. 2. Ipsam intellectionem, qua nullà
adhibitâ $\pi\epsilon\rho\alpha\gamma\epsilon\sigma\iota\varsigma$, sed suapte sponte promanat. Objectum enim
oblatum non potest non è potentiâ intellectivâ naturaliter elicere
actum. 3. Iudicium intellectus super hanc vel illam rem con-
ceptam, an hoc, an alio modo se habeat, an verum, an falsum sit.
Quod tertium adeò necessarium est, ut ni addatur, vix ullum repe-
rias discrimen inter brutorum & hominis cognitionem. Deme enim
intellectui actum discernendi sive iudicandi, & non nisi $\sigma\upsilon\delta\eta\gamma\omicron\zeta\upsilon$ -
 $\lambda\omicron\nu$, id est $\lambda\omicron\gamma\omicron\nu$ $\acute{\alpha}\lambda\omicron\gamma\omicron\nu$ habebis. Est enim iudicium verè intelle-
ctionis anima, à qua est id, quod est, nempe intellectio. Quare veri-
tati pessimè consulit prior sententia, dum divortium facit inter
perceptionem & iudicium intellectus. Sunt enim actus subordi-
nati, quorum neuter absq; altero $\omicron\lambda\omega\varsigma$ est completus. Dicimus er-
gò ad

gò ad verè absolvendam intellectionem necessario requiri iudici-
um. Completum itaq; & integrum intellectus objectum non est
Ens intelligibilitate; sed veritate affectum. Tria enim isthac
veram intellectionem absolvunt, objectum, intelligendi actus, &
iudicium, quae non erant disjungenda.

THEOR. VIII.

Intellectus noster singularia sensibilia per proprios
conceptus & species percipit.

In arduâ hac & subtili controversia dicam nobis scribunt
haud inferioris notae Philosophi, è quorum numero est Capreolus 1.
Sen. d. 35. q. 2. Cajetanus d. 1. q. 86. art. 5. Mirand. lib. 33. de
evers. certam. Sect. 13. Sed rationes, quas adducunt, tanti roboris
non sunt, ut nos à nostrâ amoveant sententiâ, quin potius in eâ-
dem maxime confirmant. Facimus itaq; hac in controversiâ cum
Pererio lib. 3. Phys. c. 17. & seqq. Fonseca 1. Metaph. c. 2. q. 3. Conimb.
lib. 3. de anima c. 8. q. 5, qui omnes concludunt, singularia proprio
& peculiari conceptu à nostro intellectu percipi, tum quia intelli-
gibile aequè latè patet atq; ens; quare cum singularia sint verè entia,
hac affectione etiam erunt prædita. Subjectum enim & passio se
mutuò ponunt & tollunt: nec non verum est, quod intelligibilitas
objecti intellectus ratio formalis sit, vi cuius intellectum tan-
quam potentiam propriam movere potest: tum etiam quia sin-
gularia materiei immersa per proprias species ab animabus separa-
tis intelliguntur, ut sacra nos edocent pagina Luc. 10. ubi sanè
nulla ad phantasmata conversio fieri potest, quod alterius partis
effugium est extremum: tum etiam quia intellectus facit discrim-
en inter universale & sensibile singulare, quod absq; utriusq;
perceptione præstare non posset; nec quorundam hic valet evanida
ratio, in qua causa sua præsidium ponunt excipientes, necessarium

non esse, ut si quis inter duas res ponat discrimen, per unam faciat potentiam, sed requiri, ut unaquæq; res p̄ suam potentiam percipiatur. Verum nimium quātum ratio hæc vacillat. Ponere enim discrimen inter duo unus est actus, una cognitio, unum iudicium. Quis ergo è diversis potentiis unus numero actus, cognitio & iudicium prodire potest? Adde quod argumentari proprium sit mentis seu intellectus munus. Jam quedam argumentationis species occupata est circa singularia, ut Inductio Aristotelis lib. 1. Top. c. 10. Ergò inde evincitur verissimum esse intellectum singularia percipere. Siquidem argumentari nihil aliud est, quàm ex uno inferre aliud, quod fieri nunquam posset, nisi utrumq; perfectè intelligeret. Quare cum intellectus in inductione è singularibus colligat universale, extra omnem dubitationis aleam ponimus, intellectum quoq; per proprias species res singulares percipere.

THEOR. IX.

Substantiæ materiales, uti & accidentia, quæ immediate sub noticiam sensuum non cadunt, non per proprias species, sed beneficio discursus intelliguntur.

Ut dilucidior nobis fiat Theorematis huius intelligentia sequentes regulæ benè observandæ sunt. 1. Notitia alicuius rei fit aut per propriam speciem, aut per alienam. 2. Intellectus multa concipit, quorum proprias species non habet, itaq; non est necesse, ut omnium, quorum notiones habemus, propria præexistant species sive in intellectu sive in sensu. 3. Non omnis conceptus qui intellectui patibili inest, ei ab intellectu agente imprimitur. Potest enim intellectus possibilis vi, qua præditus est, discurrendi, ex impressis ab agente intellectu speciebus rerum absconditarum & occultarum evocare conceptus. 4. Intellectus agens, earum tantum

tum rerum species efformat, quarum phantasmata praeexistunt in phantasia. His praesuppositis ad rem. Sunt quidam magni nominis Viri, qui tam rerum per se insensibilium, quam per se sensibilibus ab intellectu agente patibili imprimi species acriter contendunt, cui tamen sententia, ut & nos adijciamus calculum, rationem firmam nondum videmus. Itaque eam potius defendimus sententiam, quam supra in Theoremate nostro posuimus, eamque rationibus hisce confirmatam damus. Primum namque conceditur ab omnibus Philosophis; nullam substantiam accidentibus exutam in sensus incurrere; unde nec suum phantasma effici, speciemque intelligibilem ab agente intellectu produci posse colligimus. Species namque ab agente intellectu patienti impressa immediate a phantasmatis realiter & formaliter in phantasia existentibus eliciuntur.

2. Concedunt substantiam per accidens sensibilem esse. Inde colligimus: Quod per accidens sensibile est, in se affectionem istam non habet, nisi tantum, quia cum sensibilitate praedito conjunctum est. Ergo nullam in se habet rationem substantia, qua sensum movere possit. Omne enim quod per se movet sensum seu intellectum, facit id per speciem immediate de se vel in sensum vel in intellectum patientem projectam, quod substantia & accidentia, quae per se commercium sensuum fugiunt, prestare non possunt. Sed obijcis, quomodo cognoscitur substantia, si eius propria species ab intellectu agente a phantasmate educata in intellectu patiente haberi nequit? Resp. $\alpha\pi\alpha\tau\omicron\mu\omega\varsigma$; cognoscitur per proprias accidentium species, quibus cognitio intellectus supra suum intelligendi actum se reflectit & colligit, substantiam quandam eis subesse, in qua subsistant.

Cum alioquin fieri non possit, ut accidens $\chi\omega\rho\iota\varsigma$ consideratum existere possit. Elicit ergo ex propriis accidentium speciebus
quendam

quendam substantia conceptum, eumque ad futurum usum reservat. Nec tamen ille conceptus immediate, adequate & formaliter substantia essentiam representat, sed tantum determinate & convertibiliter, quia cum substantia convertitur, quomodo nos ex creaturis per modum similitudinis & dissimilitudinis, attributionis & negationis proprium formamus conceptum DEI & intelligentiarum, qui licet adequate & formaliter res non exprimat, eas tamen determinate significat.

THEOREMA X.

Res spirituales, ut DEUS & intelligentiæ, non per proprias species & conceptus adæquatos; sed vi discursus intelliguntur.

Quicquid alij in hac controversia statuunt, nos veritati consentaneum iudicamus, per proprias species res istas materia experies percipi non posse, sed tantum vi discursus & illationis, quam intellectus possibilis ex speciebus è phantasmatibus rerum productis in se habet. Proprias enim species intellectus agens in partibilem producere nequit, rerum illarum, quarum phantasmatum copiam habere non potest. Phantasmata enim tantum sunt rerum in sensus incurrentium. Diffitendum tamen minimè est, posse nos per discursum aliquos efformare conceptus substantiarum separatarum, ut loquuntur, quid dicitivos ex antecedente rerum sensibilibus, ut dicimus cognitione; qui quamvis non sint adeò perspicui ac dilucidati, ut rem formaliter representent, necessary tamen & certi sunt ex vi discursus ad res spirituales in presenti statu percipiendas. De anima & eius potentiis idem feres iudicium.

Valdè enim probabile est, animam in hac vita se non per propriam suam essentiam seu speciem immaterialem; sed tantum specierum intelligibilium interventu & discursu interposito actu reflexo percipere. Intellectus enim nequit se intelligere nisi seipsum

psum ad sese ducat per alia externa. Quo intelligat, illa à sese intelligi per intellectionem suam; atq; idcirco esse se intelligentem: ac postremo aliquid substantiale, & id demum, quod est. Scaliger Exert. CCCVII. Sect. 6.

Anima enim primum concipit, verbi g. hominem, cuius speciem sibi intellectus agens impressit: tunc reflectit se supra suum actum, quem intelligit simul cum imagine & potentiâ, per quam istum actum exercuit; Deinde quia novit speciem istam non posse esse quid corporeum, sed materiei crassa expertem, & eo ipso non nisi in potentia spiritali & substantiâ incorporeâ, ut in subjecto recipi; tandem se ut substantiam quandam immaterialem intelligentiæ & rationis participem cognoscit,

THEOREMA XI.

Intellectio cum vera sit actio, eaq; immanens, per eam aliquid in intellectu verè producitur, nempe species expressa, quam aliàs verbum mentis vocant.

Verbum mentis, quod speciem etiam expressam vocant, aliud nihil est, quàm idolum seu simulachrum, quod à mente actu intelligente exprimitur ad representandam actu rem sibi oblatam. Quod ut distinctiùs intelligamus, nota; quod uti in igne actu calefaciente 4. occurrunt: nempe primò ipse ignis seu ejus essentia: 2. calor, qui principium in eo calefaciendi. 3. calefactio, qui actus est secundus: & 4. calor in re calefacta productus, qui terminus est calefactionis: sic etiam in intellectu actu cognoscente quatuor inveniuntur. 1. Facultas intellectiva. 2. species intelligibilis, quæ est intelligendi principium. 3. intellectio, quæ ejus actio seu operatio seu actus secundus. 4. verbum mentis seu species per intellectionem ab intelligente facultate producta, quæ terminus est intellectionis. Ex quo hæc scitu digna observari possunt, 1. verbum

bum mentis cum intellectu simul esse ; terminus enim actionis
intrinsecus ei est Essentialis ; specie autem intelligibili posterius.
2. Verbum mentis veluti factum esse ipsius intellectus, & signum
rei, quæ à mente concipitur : unde & duplicem involvit respectum,
alterum, ratione principij nempe intellectus, quem ut effectus cau-
sam respicit ; alterum ratione objecti, quæ est signi ad signatum.
Species enim isthac expressa rem extra mentem positam represen-
tat. 3. Verbum mentis differt tum à specie intellectui impressa :
tum ab intellectu. Ab hac formaliter, quia intellectio est
conceptus mentis in fieri ; verbum mentis vero in facto esse.
Adde quod intellectio sit in predicamento actionis ; verbum men-
tis in qualitatibus. Ab illa vero tum realiter, tum formaliter.
Realiter, quia species intelligibilis invenitur in eo ; qui actu non
intelligit rem istam, cuius in se obtinet speciem ; nec non verbum
mentis datur sapius ea de re, cuius propria specie caremus, ut fit
in purè spiritualibus. Formaliter vero, quia species intelligibi-
lis ab intellectu agente imprimitur ; verbum autem mentis ab in-
tellectu possibili exprimitur. Et tantum de nostris Theorema-
tibus.

Non quidem inficiamur, multò plures easq; difficilimas ad-
huc excutiendas restare controversias, quæ partim ad animam
separatam spectant, partim etiam ex nostris theorematibus facili ne-
gotio determinari possunt. Itaq; hac vice bono cum DEO pe-
dem figimus, & quæ explicationem dilucidiorẽ desiderant, dis-
quisitioni reservamus.



Quæst.

AN scientia DEI sufficienter dividatur in natura-
lem & liberam ; seu quod in eundem recidit sen-
sum :

sum: an in DEO tantum sit scientia simplicis intel-
ligentiæ; & visionis, an verò media sit admittenda?
Resp. συντόμως, Esse sufficientem. Quia inter Ens &
non Ens non datur medium, ἀντιφατικῶς enim oppo-
nuntur. E. nec inter objectum scientiæ visionis &
simplicis intelligentiæ. Scientiæ enim visionis Ob-
jectum est ens in aliquâ temporis mensurâ & diffe-
rentiâ existens. Objectum autem simplicis intelli-
gentiæ est ens, quod non actu existit, sed tantum,
quod in DEI Essentiâ, ut suâ causâ & virtute contine-
tur. Cum itaque hæc divisio totam exhauriat Entis
rationem; nulla alia in DEO admittenda erit scien-
tia, Nulla n. scientia datur absq; Objecto, à quo spe-
ciem suam accipit. Reliquas rationes συζητήσθαι
reservabimus.

F I N I S.



OK 117/4 410

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

107A


AL





Am
Conf
Prude
Dn. CO
clytæ
rib

Qua
d f
eo. N
bere int
rus Re
vel pro
le, qui p
minis,
observa
ingratu
phia da




Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



lâ dignitate,
ræclarâ de ctri-
prudencia Præ-
iro, Dn. TOBIÆ
Pastori ac Superatten-
lesia Christi, apud
s optime meri-
to, &c.

otoribus

habui de intellectu
s meritòq; dicatam
omnia Vobis me de-
ctionem sum voca-
ius Vobis excusen
sed affectu non exi-
is ture & lacte non
hoc quoq; officii &
.AA. ipso affectu non
ata, sacraq; volo. Li-
tiana 1616.

colens
uchius Cizensis.

de
T
E
cu
pla
tu
tia

